

tuendum erit Maxentium persecutioni Christianorum urbis Romae ita finem imposuisse, ut non statim episcopi creandi potestas eis fieret itaque per aliquod tempus Marcellum licet presbyterum episcopi vices egisse. Ei administrationi spatium abunde suppetit. Maxentius quamquam Romae imperium cepit a. 306 Oct. 27, rerum ibi non est potitus nisi postquam pater ex urbe excessit, eo fere tempore, quo ipse patris loco consul primum processit, id est a. 308 Apr. 20. Inter eum diem et Eusebium episcopum factum exeunte a. 310 vel ineunte a. 311 apte inseritur spatium Marcelli. Ita tam recte catalogi Liberiani auctor Marcelli spatium cum eo quo episcopium cessabat computare potuit quam recte praeterierunt Marcellum in episcoporum ordine Hieronymus et Indicis auctor alique scriptores. — Ceterum de Marcellino quae narrat liber Pontificalis fuisse eum inter traditores, sed mox paenitentia acta supplicium eum subiisse aliquatenus confirmantur testimoniis aliis¹ videnturque vera esse. Item potest verum esse quod legitur in Pontificali Marcellini corpus humatum esse cura Marcelli presbyteri; nam ad sepulturas pontificum in vitis illis quae spectant, non uno loco produnt originem ex depositionum episcoporum Romanorum laterculo deperdito auctoritatis non spernendae; neque quicquam obstat, quominus presbyter hic Marcellus is ipse fuerit, quem post aliquot annos supra vidimus vice episcopi ecclesiae praefuisse. Reliqua de Marcello quae narrantur tam in libro Pontificali quam in passione (act. sanct. ad Ian. 16 vol. 2 p. 12) non solum quaeritur num vera sint, sed etiam annon pertineant origine sive ad Marcellinum sive ad Marcellum alium ab eo qui ecclesiae Romanae praefuit diversum.

5. In spatiis episcopatum ordinandis Liberiani catalogi indicia reperiuntur haec:

K in episcopis 2. 5. 6. 10. 11. 12. 17. 18. 19. 21. 22. 23. 26. 30. 31 respondet vel prope accedit ad numeros catalogi Liberiani, praeterea (missis n. 3. 4. 14. 16 inutilibus) cum Indice faciens.

E modo primitiva lectione, modo altera (numeri enim passim correcti sunt, ut vel inde appareat

1) Testis antiquissimus est Petillianus Augustini adversarius (Augustinus contra Petill. 2, 202 vol. 9 p. 275) neque hic contra dicit (l. c. 2, 208, p. 280). Item in concilio Sinuessano (supra p. 350, not. 4) conficto, ut dixi, saec. VI. ineunte Marcellinus quoniam turificavit suo iudicio condemnatur. Paenitentiam eum egisse confirmant et silentium Donatistarum in loco p. 352 adn. 3 adlegato et quod Marcellinus receptus est in indicem depositionum episcoporum.